

Cum Sol quolibet anno reuertitur ad suummet locum radicis. Pone domum eius, scilicet Leonem ascendens, & uide quomodo signum eius in quo fuerit in radice ueniat iuxta ordinem à domo sua, & iudica secundum hoc in reuolutione bonum si Sol bene affectus fuerit, malum si male, ut infra.

Ascendens	♌	Quarta	♈	Septima	♎	
Secunda	♍	Quinta	♉	Octaua	♏	
Tertia	♎	Sexta	♊	Nona	♐	Ibi fuit locus Solis radicis, significat igitur in itineribus longis, scientijs, & religione. Si igitur Sol in reuolutione fuerit fortis & foelix, significat bonum in itineribus, scientijs, & religione tali anno &c.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De translatione planetarum de domibus radicis ad domos reuolutionis.

Cum planeta peregrinus in radice natiuitatis fuerit in ascendente, qui postea in reuolutione se posuerit ad secundam domum, significat quòd natus ille cuius est reuolutio sollicitus erit, & laborabit pro acquirenda substantia. Qui si se posuerit ad tertiam uel nonam reuolutionis, significat iter. Si in quartam, stabit firmus, & aget de hereditatibus & bonis immobilibus. Sic quoque iudicabit in alijs domibus.

Si planeta peregrinus fuerit in radice natiuitatis in secunda domo, & in reuolutione inuenitur in ascendente, significat quòd habebit substantiam, & lucra à partibus à quibus non aestimabat nec sperabat. Qui si fuerit in tertiam, uel nonam, habebit utilitatem à notis & fratribus. Si in quartam, habebit utilitatem à parentibus, terris & hereditatibus. Si in quintam, à feminationibus, & rebus uegetabilibus, uel gaudijs, & conuiujs. Si in sextam, à seruis & bestijs. Si in septimam, à mulieribus aut societate, aut contentione substantiam. Et si conduxerit seruos, bonum ab eis habebit. Et secundum hanc uiam iudicabis quoque in alijs domibus.

Si planeta peregrinus fuerit in tercia domo radicis, & in reuolutione in ascendente, significat quòd ueniet ad illum frater ab alia terra, uel homo quem tenet loco fratris. Et si posuerit ad secundam reuolutionis, significat quòd inter ipsum & fratres accident rixæ & causæ. Si fuerit in quartam, fratres nati bonum habebunt, à patre, aut homines quos tenet loco fratrum. Si in quintam, nascetur ei forte filius, uel frater illo anno. Si in sextam, fratres eius illo anno infirmabuntur. Si in septimam, fratres uxorabuntur. Sic quoque iudicabis in alijs domibus etiam iuxta formulam sequentem.

Mm iij Secunda